

60 In Hipp. de Aëre, Aquis, & Locis.

dicit Barsauolus, qui plures ex illis curabat, duplo illos ac maiori etiam pondere indigere. Octaud, seres maximè decrepiti, quoniam à siccitate siccantur, à frigiditate constringuntur, ab imbecillitate redduntur immobiles. Nonum est, cum materia fuerit lenta & crassa. Decimum, cùm fuerit procul, vt in articulis, vtero & pulmone, & etiam cerebro. Undecimum est eorum, qui omnino non se exercent, sed perpetuò sedent, vt textores, tum maximè quòd exercent membra superiora. Duodecimò, in his qui paucō cibo vntuntur, & pauciore potu. Ultimum est proprietas quorundam hominum & familiarium.

Ad hæc etiam hydropses plurime, & lethaliſſima. [Dicit illa consequi æstate & hyeme, quæ non numerantur propriè inter morbos: hic verò docet propriè de morbo maximè lethali, genere toto, tum etiam in his, ob id hæc adiecit lethaliſſimæ. Propterea de quo genere primum intelligat, dicendum est. Videlut autem de ascite intelligere, tum quia ab aqua nomen hæc sumplit, vnde hydrops dicta sit, tum quia tympanitem siccum appellare consuevit, vt in illo Aph. 4. part. II. quibus tormina & circa umbilicum dolores, tum etiam quòd hæc species propriè vitio lienis procreari solet, tum demum, quòd eadem sit lethaliſma. An quòd de omnibus generibus lethaliſmis intelligat, scilicet ascite & tympanite? nam ascites fit liene iecur impediente, tympanites eodem refrigerante ventriculum atque idem amplecti sensum & res Hippocratis, non verba. Quispiam ergo iure merito dubitabit, cur cum hydrops, maximè ascites, fiat iecoris vitio, imò non nisi iecore affecto, s. de Locis, cap. 7. pag. 2. ex liene dicat plures fieri hydrops, ac maximè lethales. Igitur quòd hydrops quæ cum liene duro est, aut pleno, aut magno sit periculofior, quam quæ à iecoris vitio sit, qui ignorat, sit logicæ expers saltem nostræ, haud dubium esse potest, nec est ratio perquirenda medica, sed dialectica. Supposito enim quòd hydrops non sit nisi vitiatò iecore, seu scirro, seu imbecillitate, seu quavis alia causa, cum adiungitur, præter id lienis vitium quoduis tanto necesse est morbum fieri grauiorem: nam & si addas lienis morbum, non tamen tollit vitium iecoris illud quòd est causa ascitis, seu duri ties, seu quoduis aliud. Duo ergo adduntur mala, ipsum lienis vitium, quod curare oportet, & consensus cum iecore, vt curari non tam facile queat, & vt celerius perimat ægrum. Iam & si hæc tamen clara sint, duo tamen dubia restant: vnum quòd plurimæ fiant hyropes, quòdque non necesse sit eas esse lethaliſſimas: vt pote quæ pendere possint ex affectu in liene, non per se, sed per lienis consensum: at tum minus erunt periculose. Propter hoc igitur dicimus, iecur etiam in his affici: atque idem cùm dixit, iam ventres duri, tenues & calidi. Sed cur non appellauit iecorarios, vt spleneticos? quoniam splen manifestè quidem eleuatur, iecur non ita, sed raro, & in paucis admodum. Vnde apud Hippocr. inuenies in Epid. 25. spleneticos, iecorarios vix 3. aut 5. Quid ergo est in causa cum late ra parua sint, dextra atque sinistra? quoniam

primum splen magnis tumoribus celerius afficitur, quod excrementoso sanguine repletatur, ac nutriatur, iecur autem bono & longè tenuiore. Est etiam lien minus atque magis suspensum mendosis costis, iecur autem reconditum: & si scirrus in utroque fiat in iecoris substantia densiore & crassiore magis latere potest: in liene non potest. Et etiam quia qui iecur durum habent antequam ed perueniant, vt aded durescat, & attollatur, in hydropem peruenient: vnde tumor absconditur & latet in profundo. Quibuscumq; ergo vitium iam est in iecore, his cum accedit ascites, adiecto tumore lienis, hi magis periclitantur, & totidem numero sunt, quot qui lienis vitio vacant, & sunt ascitici, qui verò ex consensu solum iecoris cum liene in ascitem deuenerunt hi iam priori numero adiiciuntur: sunt ergo plures numero, quam si sine lienis, vitio ascites fieret. Sed & periculosiores, quoniam qui ex iecore in ascitem decidunt, periclitantur solum vel cum scirrus in iecore confirmatus fuerit, aut cum morbo acuto ascites successerit: seruantur autem ex fluxione aut retentione hemorrhoidarum, ex mala victus ratione, ex fluxu hepatico sanato, ex imbecillitate iecoris non magna, quæ propter diuturnum morbum accidit: at ex consensu lienis si fiat cum iecoris proprio affectu adhuc sumus in casu duplicitis causæ ascitis, & periculo maiore: si autem sit ex solo consensu, cum oporteat causam esse magnam & iecoris vitium, erit necessariò lienis vitium maximum. Si ergo tale iam fuit, vt posset euertere iecur cum lanum erat, multò magis illud lapsum iam impedire poterit ne sanetur, habebimus autem tria difficultima, morbum qui genere est contumacissimus, quique impedit curationem suæ causæ, & causam causæ maximam, vt diximus: tumores enim lienis non nisi longo tempore sanantur: impediuntur autem ab aqua iam effusa: quod igitur pauci animaduertunt, & pauci rursus credunt, ascites vitio lienis orta frequentissima est, & periculosissima, euenit in his regionibus atque id totum pender ex hoc iā quòd habet causam necessariā secum, id est vitium iecoris. Vnde reliqua quæ adiiciuntur non commutant causam, sed sunt tanquam additamenta. Colligitur autem in ascite aqua, in tympanite autem flatus, in eisdem locis, scilicet inter peritoneum & omentum: & utroque modo redditur periculofissimæ: si ea quæ de iecore diximus in ascite, dicamus de ventriculo in tympanite. An verò ascites sit tympanite periculofior, minimè locus est vi hic disputem, sed in contradictionibus dictum, sed de hypofarca constat quòd leuior sit, & ob id de ea non intelligere perspicuum est. Fiunt ergo ascitici, quoniam morbus hic contingit calore naturali, imbecilli, & præter naturam inducto, vt in Commentariis super Prognostica dictum est: at hi habent durum & gracilem ventrem, igitur calorem natuum, imbecillum, cum verò calidum etiam, vt diximus, & non natu calore, patet hanc vnam esse causam ascitis, 13. Art. vi, cap. 16. altera est ob lienis tumorem, qui cum non possit recipere limosum sanguinem iecoris amplius, & ipse calefactus calefaciat iecur, tū venulas omnes & arterias ipsum